277.

(22

EMINENTISSIMO

JO. BAPTISTAE BUSSI

BENEVENTANAE ARCHIDIOECESIS CARDINALI ARCHIEPISCOPO
MORUM SUAVITATE, ELEGANTIA, ET SANCTIMONIA
MIRABILIQUE SAGACIS, AC DOCTAE MENTIS ACIE
NEMINI SECUNDO
EJUS FESTO NOMINE RECURRENTE
VINCENTIUS OREFICE EJUSDEM VIC. GENERALIS
REGIAE OECONOMICAE PRINCIPATUS ULTERIORIS SOCIETATI ADDICTUS
DUM QUA POTEST
D. O. M.
OBTESTATUR ET ORAT
UT
PASTORI BUSSI SUPERI SINE FINE JOANNI
DENT ANNOS, PARITER VIVERE ET INCOLUMES.
HANC ODEN
D. D. D.

ODE

Descende Cœlo Virgo Dei Parens
Es Mater almæ, quæ sapientiæ
Vires et œstrum nunc benigna
Redde precor mihi tu ementi.

Dicam canori Cultor Apollinis
Laudes JOANNIS Præsulis inclyti
Virique festum tollam ad astra
Egregii, eximiique nomen.

Non tu superbis nomine nobili,
Jactare stirpem te nihil attinet
Nec purpuræ miraris ostrum
Aetherea recreatus aura.

Tu Præsul optas artibus omnibus
Levare egenos sedulus ut Pater
Quos ut juves contemnis audax
Divitias operosiores.

Invictus heros pro grege languido
Cum vita opes non tradere denegas
Pastor vigil frangis tremendum
Tartarei imperium tyranni.

Non Orcus ater prælia destinat;
Pugnas atroces nec ciet amplius;
Es quippe tu semper paratus
Pro grege non timidus perire.

Tu pervicaces blandius Orpheo
Mollire quærens sollicita prece,
Tuo procul pravos ovili
Consiliis, monitisque pellis.

Vulgus profanum plus vice simplici
Dictis coerces tigris ut aspera,
Laxas habenas nec scelestis
Criminibus, vitiisque mersis.

Quod veste Præsul tu tyria micas
Primoque Patrum Concilio sedes
Virtute prorsus, quod renides
Omne supervacuum recusas.

Virtus recludet mascula næ tibi
Cælum, malignum spernere quæ dedit
Vulgus, sacrarum jure Princeps
Grande decus, columenque rerum.

Vexare turmas impiger hostium,
Orci frementis faucibus eripis,
Plerosque morti destinatos,
Addis et ordinibus beatis.

Omitte curas sollicitus graves,
Est dulce prorsus desipere in loco,
Nunc dum favent Musæ, est canendum
Jure tuum meritoque nomen.

Non ista Cressa pulchra dies nota
Præsul carebit, maxime Principum
Sospes gregi fac tuque vivas
Pontifici, Dominœque Romæ.

IN IDEM ARGUMENTUM

ODE

Nominis festum rediens quotannis
Concinant Musæ fidibus canoris,
Et tuos lætæ celebrent, Joannes,
Versibus annos.

Efficax turpes removere culpas;
Ordinem rectum injicis, et decoras,
Jure dilectus superis, et imis
Non sine laude.

Integer vitæ penitus laboras,
Ne gregem crimen maculet, scelusque;
Quisque sed ducat sine labe vitam
Tempus in omne.

Scilicet claro genitus Parente;
Moribus puris magis at renides,
Prorsus et quovis vitio remotus,
Maxime Præsul.

Flore de verno capiti corona
Hæreat fulgens, niteasque vivax
Principes sacros numeratus inter
Murice et Ostro.

Nobilis spectas oculo irretorto
Aurum et argentum, nimium beatus
Jure tu solis miseris et ægris
Prorsus amicus

Fortis appares, pariterque magnus
Rebus angustis animosus heros
Spernis et votum popularis auræ
Arbitriumque.

Jure vivendi numeros, modosque
Tu doces rectos, ratione vitæ
Tramitem ad rectum magis arrogantes
Voce reducis.

Notus in mæstos, inopes et omnes
Usque tu nobis animi paterni,
Qui diu noctuque gregi adlaboras
Sedule custos.

Pertinax urges male feriatos;
Nec sagax illos sinis esse inultos
Perditos qui jure reos perhorres,
Immeritosque.

Pelle nunc lætus miseros tumultus
Mentis, et curas remove voraces;
Explica Frontem; Lycius vel Arcum
Laxat Apollo.

Vive Mæcenas teres, et rotunde
Nec tibi vulgus noceat profanum;
Dum Ceres vivit simul, et Lyæus
Vive valeque.

IN IDEM ARGUMENTUM

ELEGIA

Phœbe veni, sacroque meum rege numine pectus,
Ut Bussi celebrem carmine grande decus.
Contractam Præsul nunc tandem exporrige frontem
Io lætitiæ te dare signa decet.
Pelle animo curas, Mœcenas, mentis et æstus,
Indulge genio, si sapis, ipse tuo.
Jesum præcessit Divus quondam ille Joannes,
Quam bene nunc gressus tuque utriusque premis!
Integer et vitæ, quovis vitioque remotus
Ille fuit, mores sunt sine labe tui.
Quam bene tu sponsam Christi tutaris et ornas
Consilio, monitis, moribus ingenuis.
Immemor ipse tui, sceleri latus obdis apertum,
Nec vitæ ducis sæva pericla tuæ.
Perversos hominum mores tu voce reformas,
Errata emendas legibus ipse tuis.
Sæpe ruit populus nulla vel lege subactus,
Per scelus impavidus, per vetitumque nefas.
Sollicitus Numen precibus, votisque fatigas,
Ictus ut ponat pro grege fulmineos.
Sic te Diva potens Cœli, Jesu inclyta Mater
Adjuvet auspiciis, præsidioque suo!
Illa Dei Mater nostra et tutela, salusque,
Efficiet, populis utilis esse, queas.
Pastorem ut natum prudentem protegat illa,
Qui hœdos, corda, et oves, corrigit, unit, amat.
Jure tibi populus meritos largitur honores,
Præsentique tibi thura Sabæa cremat.
Crescat ad ortum BAPTISTÆ BUSSI usque, cubili
Solis ab hesperio gloria, fama, decus.

In perenne grati animi, observantiaeque monumentum

VINCENTIUS OREFICE EMI. CARD. ARCHIEP. VIC. GEN.

DATUM BENEVENTI OCTAVO KALENDAS JULII A. D. MDCCCXXXIII.

Apud Petrum Paulum Paternò Typographum Cameralem.